puniatur: Ignem enim negligenter servantes manere non debent impuniti. l. Nam salutem. §. 1. ff. de Offic. Præfect. Vigil.

STATUTUM XXXVI.

De Librorum ex Bibliotheca acceptione et Bibliothecarii electione.

Quoniam naturaliter quilibet scire desideret. l. Apud Iulianum ff. de Fidei commissar. libert. vel à peritis, vel à mutis magistris libris, qui ad scientiam acquirendam. jux. c. Exiit. §. In alio quoq; de Verb. Significat. in 6. simpliciter sunt necessarii, discere, illosq; quoties opus est et necessitas exigit, consulere debet. Quod ut facilius fiat, statimus, quatenus unicuiq; Professori, hic in Collegio manenti facilis sit ad dictos mutos et Magistros Libros in Bibliotheca Collegii existentes accessus, ita tamen, ut eosdem extra sine consensu Bibliothecarii, per Communitatem quolibet Anno eligendi vel reeligendi ac subscriptione sui in Libro ad id comparato, seu aliàs submissione de restituendis acceptis danda, multò magis extra Collegium efferre sub pœnis arbitrariis non audeat, sed iisdem domi et absq; deterioratione eorum eousq; utatur, quousq; materiæ sibi necessariæ arcana non penetraverit. Scholasticis enim nihil debet esse absconditum in ea arte, cui student. In Prodm. ff. §. Disputi.

STATUTUM XXXVII.

De Judiciis exercendis.

Quia parum est condere jura, nisi sint qui ea tueantur, ac debitæ executioni demandent. c. Ubi periculum. §. Præterea. de Elect. in 6. c. un. §. Et quoniam. de Stat. Regular. in 6. et l. 2.

et l. 2. §. Post originem. ff. de Origin. jur. Statuimus ideo, ut Clarissimus Dominus Præpositus hujus domus sit Custos legum, transgressores earum juxta tenorem et obloquentiam Statutorum superiùs descriptorum, quæ ad corticem servanda sunt. Bartol. in l. Cum Navarchorum. C. de Navicularijs. et pro delicti qualitate, quæ pœnas lenire, vel aggravare solet. can. Non agere. ramus. 24. q. 1. et c. fin. §. fin. de Clandest. desponsat. præmissa semper jux. c. Reprehensibilis. de appell. monitione puniat. arg. can. Pro qualitate. 26. q. 7. exceptioni et appellationi justis et legitimis, quibus jura deferre mandant et præcipiunt, ad quem de jure et præscripto Statutorum Universitatis deferre debet, deferat, suoq; ingenio non innitatur, sed legum, Statutorum et Clarissimorum Dominorum Consiliariorum unaq; cum illis Judicia exerceat et Sententiam de consensu eorum expresso dicat. Integrum enim est judicium, cùm plurimorum Sententiis confirmatur. can. Extra conscientiam. dist. 64. et quod à pluribus quæritur, facilius invenitur. can. De quibus dist. 20. Per plures namq; homines, perfectissima veritas revelatur. l. fin. ad fin. C. de Fideicomissis.